



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De felicitate vitæ, quam præparavit Deus diligentibus se, 22

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

humores tumidant , dolores extenuant & ardores exsiccant, aër morbidat, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt : sollicitudo coarctat , securitas hebetat : divitiæ inflant & jactant , paupertas dejicit, juvenus extollit , senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimat. Et his malis omnibus , mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitæ , ita finem imponit , ut quum esse desierit , non fuisse putetur. Mors ista vitalis , & vita mortalis , licet his aliisque sit respersa amaritudinibus , proh dolor , quam plurimos suis capit illecebris ! & quam multos suis falsis promissionibus decipit !

3. Et cum ita per se sit falsa & amara , ut etiam suos cæcos amatores latere non valeat : tamen infinitam stultorum multitudinem, aureo calice, quem in manu habet , potat, & prorsus inebriat. Fœlices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem ejus recusant , perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt : ne cum pereunte deceptrice & ipsi perire cogantur.

C A P V T XXII.

De fœlicitate vitæ , quam præparavit Deus diligentibus se.

I. **O** Tu vita , quam præparavit Deus iis, qui diligunt eum , vita vitalis , vita beata , vita segura , vita tranquilla , vita pulchra , vita munda , vita casta , vita sancta , vita ignara mortis , nescia tristitiæ , vita sine labe , sine dolore , sine anxietate , sine corruptione,

ruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantia & dignitatis plenissima: ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, & timor nullus, ubi dies aternus, & unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur.

2. Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua avido corde: Quanto plus valeo tecum considerare, tanto plus amore tui languero: tui vehementi desiderio, tuique dulci memoria admodum delector. Libet itaque, libet in te oculos cordis attollere, statum mentis erigere, affectum animi conformare. Libet sane de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta sapius corde revolvere: ut vel sic possim ab hujus mortalis perituræque vitæ ardoribus, periculis & sudoribus, sub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio transire, & transiens, in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululum reclinare.

3. Hujus rei gratia Scripturarum sanctarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono; ut tali modo tua dulcedine degustata, minus istius miserimæ vitæ amaritudines sentiam.

4. O tu vita foelicissima! ô regnum vere beatum, carens morte, vacans fine! Cui
nulla

nulla tempora succedunt per ævum: Vbi con-
 tinuus sine nocte dies nescit habere tempus.
 Vbi victor miles illis hymnidicis Angelorum
 sociatus choris, cantat Deo sine cessatione
 canticum de canticis Sion, Nobile perpetua
 caput amplectente corona. Vtinam concessa
 mihi peccatorum venia, moxque hac carnis
 sarcina deposita, in tua gaudia veram re-
 quietem habiturus intrarem: & tuæ civitatis
 præclara atque speciosa mœnia, coronam
 vitæ de manu Domini accepturus ingrede-
 rer: ut illis sanctissimis choris interesssem, ut
 cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris
 assisterem, ut præsentem Christi vultum
 cernerem, ut illud summum & ineffabile, &
 incircumscriptum lumen semper aspicerem:
 sicque nullo metu mortis affici, sed de incor-
 ruptionis perpetuæ munere latari posseni
 sine fine.

CAPVT XXIII.

De felicitate anima sanctæ hinc exeuntis.

I. Fœlix anima, quæ terreno resoluta, cor-
 pore libera, cœlum petit, secura &
 tranquilla, non timet hostem, neque mor-
 tem. Habet enim semper præsentem, cernit-
 que indefinenter pulcherrimum Dominum,
 cui servivit, quem dilexit, & ad quem tandem
 lata & gloriosa pervenit. Hanc vero tantæ
 beatitudinis gloriâ nulla dies minuere, nul-
 lus improbus poterit auferre. Viderunt eam
 filia Sion, & beatissimam prædicaverunt, &
 Regina & concubina laudaverunt eam, di-
 centes: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,
 D
 deliciis